

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2023-2024
À rendre pour le lundi 6 novembre 2023 (casier au DSA)

Version latine n°3 : la condition humaine

Longueur LC : intégralité. Longueur LM : crochets droits.

[Principium¹ iure tribuetur homini, cuius causa uidetur cuncta alia genuisse natura, magna, saeua mercede contra tanta sua munera, ut non sit satis aestimare, parens melior homini an tristior nouerca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctarum alienis uelat opibus. Ceteris uarie tegimenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, uillos, saetas, pilos, plumam, pennas, squamas, uellera ; truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigore et calore tutata est : hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abicit ad uagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas, et has protinus uitae principio ; at Hercule risus praecox ille et celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur.

Ab hoc lucis rudimento quae ne feras quidem inter nos genitas uincula² excipiunt et omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus iacet manibus pedibusque deuinctis, flens animal ceteris imperaturum, et a suppliciis uitam auspicatur unam tantum ob culpam, quia natum est. Heu dementia ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos ! Prima roboris spes primumque temporis munus quadripedi similem facit. Quando homini incessus ? Quando uox ? Quando firmum cibus os ? Quam diu palpitans uertex, summae inter cuncta animalia inbecillitatis indicium ! Iam morbi totque medicinae contra mala excogitatae, et hae quoque subinde nouitatibus uictae !] Et cetera sentire naturam suam, alia pernicitatem usurpare, alia praepetes uolatus, alia nare : hominem nihil scire, nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non uesci, breuiterque non aliud naturae sponte quam flere ! Itaque multi extitere qui non nasci optimum censerent aut quam ocissime aboleri. [...]

Nulli uita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior. Denique cetera animantia in suo genere probe degunt. Congregari uidemus et stare contra dissimilia : leonum feritas inter se non dimicat, serpentium morsus non petit serpentes, ne maris quidem beluae ac pisces nisi in diuersa genera saeuiunt. At Hercule homini plurima ex homine sunt mala.

Pline l'Ancien

¹ Le début de la partie consacrée aux animaux dans l'encyclopédie de Pline.

² Allusion aux langes et à l'emmaillotage.